



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Propositio I. Genuini sunt libri Novi Testamenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

PROPOSITIONES.



OSITIS Principiis quibus omnis nostra nititur Demonstratio, nunc ipsa ex iis educenda est. Quoniam autem in rerum gestarum veritate pericrutanda, & in moralibus explicandis quaestionibus fere versatur haec disputatio, minime à nobis expectanda est geometrica illa brevitatis ac simplicitatis, quam non fert rei natura. Recte enim ab Aristotele definitum est initio Nicomacheorum, ad rerum singularum naturam ac modum institui tractationem & accommodari debere. Sed ut diffusior & uberius sit argumentorum tractatio, inerit iis tamen *ἔμφαντος* vis, quam initio pollicitus sum. Decem Propositionibus absolvitur Demonstratio ista, quarum prima haec est:

PROPOSITIO I.

Genuini sunt libri Novi Testamenti.

I. Probatur *ἁπλοῦς* librorum Novi Testamenti; II. Evangelii secundum Matthaeum; III. Evangelii secundum Marcum; IV. Evangelii secundum Lucam; V. & ejusdem Actuum Apostolorum; VI. Evangelii secundum Johannem; VII. & ejusdem Epistolarum, Prima, VIII. Secunda, ac Tertia; IX. & Apocalypsis; X. tum Epistolarum Pauli, XI. ac praesertim Epistole ad Hebraeos; XII. deinde Epistole Jacobi, XIII. & ambarum Petri; XIV. ac demum Epistole Judae. XV. Probatur praeterea *ἁπλοῦς* librorum Novi Testamenti ex vetustate codicum quorundam. XVI. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. XVII. Secundum argumentum. XVIII. Tertium argumentum.

I. Genuinos appello libros, scriptos ab iis auctoribus, à quibus dicuntur esse scripti, & iis circiter temporibus, quibus scripti esse feruntur, juxta primam Definitionem. Cum autem ex primo Axiomate constet librum omnem esse genuinum, qui genuinus habitus est ab aetatibus proxime & continuata serie sequentibus, consecrarium est librum hunc esse genuinum, quem proxime subsequentes aetates ab eo auctore scriptum esse censuerunt, à quo scriptus esse dicitur, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur. Atqui Novi Testamenti libros proxima & continuata serie sequentes aetates ab iis auctoribus scriptos esse crediderunt, à quibus dicuntur esse scripti, & iis circiter temporibus, quibus scripti esse feruntur. Unde concluditur genuinos esse libros Novi Testamenti. In assumptione probanda vertitur hujus cardo Propositionis.

Quatuor Evangelii constat Novum Testamentum, quae singula singulis scriptoribus, Matthaeo, Marco, Lucae, & Johanni tribuuntur: tum Actis Apostolorum, quorum auctor fertur esse Lucas idem Evangelista; quatuordecim Epistolis, quae Paulo adscribuntur uno consensu omnes, praeter postremam quae est ad Hebraeos; de hujus enim scriptore aliqua extitit inter eruditos contentio; Epistola Jacobi unica, ejus qui frater Domini appellatus est; Petri duabus; tribus Johannis Apostoli, unica Judae; & Apocalypsi demum Johannis, qui Apostolus fuit, an alter aliquis, nonnullis aliquando dubium fuit.

II. Non hic Lectorem longis disputationibus, & magno testimoniorum apparatu morabor, cum id quod agimus, jam actum sit velut ex instituto ab Eusebio in Historia Ecclesiastica libris: & res sane clarius est, quam ut in ea confirmanda multum laborandum sit. De singulis tamen Novi Testamenti libris agam breviter, quantum sat erit ad fidem cordatis Lectoribus faciendam: ac primum de Evangelio secundum Matthaeum. Testimonia ex eo manifeste deprompta affert in suis ad Corinthios Epistolis Clemens Romanus, Apostolicorum temporum aequalis, & à Paulo ipso celebratus in Epistola ad Philipenses. Quippiam etiam indidem depromptum comparet in Epistola, Barnabae nomine inscripta: laudatur praeterea ab Ignatio, qui Christum à

Probatur ἁπλοῦς librorum Novi Testamenti:

Evangelii secundum Matthaeum;

mortuis suscitatum vidisse se gloriabatur, laudatur & à Polycarpo Apostolorum, Johannisque potissimum discipulo, & à Papiâ Johannis itidem auditore, & Polycarpi sodale. Quocirca solum Matthæi Evangelium probabat Cerinthus hæreticus, Apostolorum coartaneus, reliqua repudiabat. Hos excipit Justinus Martyr, librorum omnium Novi Testamenti laudator assiduus, præterquam Epistolæ Pauli ad Philemonem, Catholicæ Judæ, & duarum Johannis postremarum; quarum, propter brevitatem, nulla citandi videtur ipsi data occasio. Succedit Athenagoras; huic Irenæus, Polycarpi discipulus, qui se primam Apostolorum successionem attingisse jactabat. Is scriptum à Matthæo narrat Evangelium patria lingua, cum Romæ Petrus & Paulus Evangelium promulgarent. Tum subsunt Scriptorum agmina, libris iisdem auctoritatem suam asserentium: quibus commemorandis superfedeo, nam res liquet, nec de recentioribus illis dubitatur. Tota de primis illis contentio est.

*Evangelii
secundum
Marcum;*

III. Marcum Petri discipulum, ab eoque in Epistolis laudatum, Evangelii, quod ejus nomine circumfertur, fuisse conditorem scripsit idem, quem proxime nominavi, Papias Hierapolitanus Episcopus; scripsit & Clemens Alexandrinus. Ejus auctoritate sæpe utitur Justinus, ut dixi. Ex iis quæ Petrum prædicantem audierat Marcus, Evangelium hoc esse conflatum Irenæus tradidit. Hinc crebra ejus mentio apud alios supparet Irenæo. Porphyrius quoque dum quædam in eo temere carpit, ipsius antiquitatem & γρηγοριανη confirmat.

*Evangelii
secundum
Lucam;*
1. Cot. 8. 18.

IV. Lucæ, qui Paulum peregrinantem assecutus est, Evangelium Paulus ipse elogio consecravit in Epistola posteriore ad Corinthios, his verbis: *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ.* Idem Evangelium à Paulo significari volunt his verbis, quæ sæpe ab eo usurpata reperias; *Secundum Evangelium meum.* Auctor Eusebius. Itaque testem cum sæpe allegat Clemens Romanus in memoratis Epistolis ad Corinthios, ac deinde Justinus. Nonnihil etiam ex eo petatum habet Epistola Barnabæ. Sed & proxime laudatum Pauli testimonium ex altera ad Corinthios, Ignatius ad Ephesios scribens ipsi accommodavit. Meminit ejus & Irenæus; solumque illud Evangelium, aliis rejectis, admiserunt Cerdo, & Marcio. Scio hunc duo ejus priora capita, sic tanquam supposititia expunxisse: verum suam illis asseremus γρηγοριανη in Propositione nona, tum cum Mariæ virginitatem tuebimur.

*& ejusdem
Actorum
Apostolorum;
Philastr. Hæc.
16.
Euseb. Hist.
libr. 4. cap. 19.*

V. Actis quoque Apostolorum cum fidem haberi verent Cerinthus, quemadmodum à Philastro proditum est, & Severus, quemadmodum ab Eusebio; Cerinthum autem Apostolorum temporibus vixisse constat, Severus M. Aurelii ævo, libri veteris hinc deprehenditur. Se autem hujus scriptorem prodit Lucas in Procemio ad eundem Theophilum, quem in Evangelii sui aditu compellat, illicque se res à Christo gestas literis jam ante mandasse significat. Ita hi sibi libri, alter alteri, auctoritatem conciliant. Egregium autem cum universæ Evangelicæ historiæ, tum præcipuè Evangelio Lucæ, atque Actis etiam Apostolorum ab eo scriptis, antiquitatis testimonium commodat Philostratus, Severo Augusto coævus. Pleraque enim Christi, Apostolorumque miracula ex his libris adeo manifeste in Apollonium suum transcripsit, ut ne à verbis quidem ipsis usurpandis abstinuerit. Id nos luculenter in Propositione nona demonstrabimus.

*Evangelii
secundum
Johannem;*

VI. Ad Evangelium scribendum jam magno natu Johannes Apostolus animum adiecit. Ejus ipse se auctorem manifeste declarat ad calcem operis. Nec video quo argumento vel auctoritate freti nonnulli conjecerint postremam hanc partem à Johanne altero, Ephesino Episcopo, Ephesinæ Ecclesiæ nomine, post Johannem Apostoli obitum fuisse adjectam. An quod Johannem de futura sua morte tam certo ac definite loqui non posse senserint? Quasi scire non potuerit se communi moriendi lege natum esse, atque hæc Christi verba de se, *Si enim volo manere donec veniam, quid ad te? sibi immortalitatem nequam spondere, & perverfam iis affectam esse sententiam à fratribus.* Deinde quod additur: *Et scimus quia verum est testimonium ejus,* id putant nonnisi à pluribus scripta esse de uno; non ergo à Johanne solo de seipso; quippe non simul, & plurali numero, & singulari de se potuisse loqui. Ego contra aio perulgata esse generis hujus exempla apud scriptores. Sic Christus ad Nicodemum, in eodem Johannis Evangelio: *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur.* Præterea vox, *Scimus,* non ad Johannem solum, sed ad reliquos etiam Discipulos spectat: ac si dixisset, *Ego,* ac Discipuli reliqui, *scimus* ea vera esse, quæ de Christo testificatus sum. Ad hæc cum ait *ἐγὼς ἀποστόλος* de se: *Hic est Discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc,* constat sibi, qui supra pari modestia se ipse dissimulavit, cum dixit: *Erat ergo recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* Postremo unicum clausulæ hujus auctorem ista indicant: *Nec ipsum arbitror mun-*

Joh. 21. 22.

Joh. 21. 24.

Joh. 3. 21.

Joh. 11. 22;
Joh. 21. 25.

dum capere posse eos, qui scribendi sunt libros. En tibi Scriptorem de se numero singulari loquentem: quod utique non fecisset, si nomine Ephesinae Ecclesiae, uti volunt, numero plurali supra fuisset usus. Cæterum multa ex hoc Evangelio testimonia depromit Justinus, Johannis ætati proximus, testis locuples, & nulli exceptioni obnoxius. Ejus item auctoritatem usurpat paulo recentior Irenæus. Refert denique Clemens Alexandrinus in libris *κωνσταντινου*, se accepisse à majoribus postremum omnium Evangelistarum Johannem res Christi gestas memoriae prodidisse. Præterea de rerum origine differens Amelius, Platonicus Philosophus, suppar his temporibus, ex Evangelio Johannis, quem celato nomine Barbarum appellat, prima verba usurpat, à Christi licet religione alienus.

Amel. apud
Euseb. Præp.
libr. 11. cap.
19.
& ejusdem
Epistolarum,
Prima,
Euseb. Hist.
libr. 3. cap. 24.

VII. Johanni quoque adscribuntur Epistolæ tres, & Apocalypsis. Primam Epistolam citra controversiam ab universis Christianorum Ecclesiis numquam non admittam fuisse, & Johanni Apostolo tributam, reliqua venisse aliquando in contentionem, deque eorum auctore dubitatum esse tradit Eusebius. Ac è Prima quidem Epistola testimonia sumit Papias, quo nemo melius veritatem illius perspectam habere potuit, quippe qui Johannis fuerit auditor, ut supra dixi. Laudant eandem Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & reliqua deinceps Ecclesiasticorum auctorum caterva. Inter quos insignis est Dionysii Alexandrini testificatio libro secundo De promissionibus: ab uno siquidem eodemque auctore profecta esse docet Evangelium, & Epistolam Catholicam, quæ Johannis nomen gerunt, idque cum ex verborum ac sententiarum consonantia, tum ex consimili scriptiois genio demonstrat.

VIII. De Secunda, ac Tertia major est discrepatio, nec ea tamen de veritate ipsarum, sed de auctore, quem quidam Apostolum Johannem, nonnulli Johannem alium Presbyterum, Christi itidem discipulum esse volunt, Johannis Apostoli æqualem. Johanni quidem Christi discipulo secundam adscribit Irenæus, & testimonium ex ea recitat. Observatione vero dignum est *ἐν τῷ* alterum, indidem alibi ab eo depromptum, quod tamen è Prima Epistola petere se ait. En tibi ipsius verba: *Quos & Dominus nobis cavere prædixit: & discipulus ejus Johannes in prædicta Epistola fugere eos præcepit dicens: Multi seductores exierunt in hunc mundum. Qui non confitentur Jesum Christum in carne venisse, hic est seductor & Antichristus.* Quam prædictam appellat Johannis Epistolam, ea est Prima proxime ab eo laudata, cum verba tamen quæ affert jaceant in Secunda. Sane videretur sanctum virum fecellisse locus huic consimilis, qui in Prima extat: *Multi Pseudopropheta exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Clemens Alexandrinus Johannis majorem Epistolam, hoc est Primam citat. Ex quo efficitur Johannis ejusdem esse reliquas duas, vel alterutram certe, Apostoli nimirum, quem Primæ auctorem esse demonstravimus. Nam si unica Johannis Apostoli haberetur Epistola, cur majorem eam appellaret, qua minorem, nullam auctorem idem dedisset? Has postremas duas cum reliquis Catholicis in censum sacrorum Librorum conjecit idem Clemens in libris *κωνσταντινου*, ut auctor est Eusebius. Tertullianus testimonia ex Secunda, tanquam Canonica, depromit. A multis quidem dubitari ait Origenes, an genuinæ sint Secunda, & Tertia, hoc est an Johannis Apostoli, se tamen id concedere. Dionysius Alexandrinus, ubi de Johannis Apocalypsi disserit, ut eam Johannis alterius ab Evangelista esse probet, à Secunda, & Tertia Johannis Epistolis discrepare ostendit. Sexcentos tulerunt anni sequentes, qui eas Johanni Apostolo absque hæsitacione tribuerunt. Meminerimus præterea eum nos genuinum appellare librum, qui ab eo auctore scriptus est, à quo dicitur esse scriptus, & eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur: has autem Johannis Epistolas, cujuscunque sint auctoris, sive Johannis Apostoli, sive alterius Johannis Presbyteri, eo tempore scriptas esse constar, quo feruntur esse scriptæ, cum uterque hic Johannes Christi fuerit discipulus; ab eo autem auctore sunt scriptæ, à quo dicuntur esse scriptæ, Johannis enim Presbyteri præ se ferunt nomen, nec quisquam ab eo scriptas esse negat: is autem, sive sit Apostolus Johannes, sive Johannes alter, certe Johannes Presbyter est, quicumque tandem ille est. Qui etiam incertus esset adhuc & dubius, ita ut olim fuit, (quem tamen Johannem Apostolum esse cum Ecclesia Catholica certum habeo) nihilominus staret nostra sententia; nam cum ab incerto auctore scriptæ essent, & ejusdem auctoris incerti nomen præ se ferrent, fatendum certe esset scriptas fuisse ab eo auctore, à quo vulgo dicebantur esse scriptæ. Atque eadem valere debet ratio ad propugnandam Apocalypseos, Epistolæ ad Ebræos, Secundæ Petri, aliarumque Jacobi & Judæ duarum fidem. Denique, ut Christianis excuterentur duæ illæ Johannis Epistolæ, tam breves illæ sunt & exiguæ, ut sua nihilominus Christianæ Religioni, absque illarum ope, constare possit auctoritas.

Secunda, ac
Tertia.
Iren. libr. 1.
cap. 12.
Iren. libr. 3.
cap. 18.

1. Job. 4. 1. &
seq.
Clem. Alex.
Strom. 2.

Euseb. Hist.
libr. 6. cap. 14.
Terrull. de carne
Christi,
cap. 24.
Dionys. Alex.
libr. 2. de pro-
missionib.

& Apocalyp-
sios:

Epiphan. in
Alog.

Justin. Dialog.
cum Tryphon.
Iren. libr. 4.
cap. 17. & 30.
& lib. 5. cap.
30. & apud Eu-
seb. Hist. libr.
5. cap. 8.
Euseb. Hist.
libr. 4. cap. 18.
Tertull. adv.
Marc. libr. 3.
cap. 14. & libr.
4. cap. 5.
Clemens Alex.
apud Euseb.
Hist. libr. 1. c.
21.
Apollon. apud
Euseb. Hist.
libr. 5. cap. 18.
Origen. in
Math. & in
Job. & apud
Euseb. Hist.
lib. 6. cap. 25.
tum Epistola-
rum Pauli,
2. Petr. 3. 15.
16.

Clem. Alex.
Strom. 2.

ac praesertim
Epistola ad
Ebraeos.
Tertullian. de
pudicit. cap.
20. Hieron. De
script. Eccl. in
Paulo.

E 4. 2. 3.

Euseb. Hist.
libr. 3. cap. 18.

Origen. lib. 5.
in Joban.

IX. Veniat nunc ad examen Apocalypsis, de cuius aetate ambigit nemo, ut quae vel Johanni Apostolo adscribatur, uti sit ab Ecclesia Catholica, vel Johanni, qui Marcus cognominatus est, & Paulo socium se dedit, vel Johanni Presbytero, vel (quae fuit Alogorum variana ab Epiphano confutata) Cerintho Haereticarum, quem admodum referunt Cajus in disputatione adversus Proclum Caraphrygarum patronum, & Dionysius Alexandrinus libro secundo De promissionibus. Hos enim omnes eadem aetas vidit. De auctore solum controversia est. Hunc esse Johannem Apostolum affirmate tradit Justinus, his temporibus non multo inferior, quibus in literas relata est Apocalypsis. Affirmat hoc ipsum Irenaeus, qui & recens fuisse sua aetate hoc opus testatur, & sua pene memoria, sub finem nempe imperii Domitiani, visa esse Johanni, quae in Apocalypsi memorantur. Addit Hieronymus eam interpretatos esse Justinum, & Irenaeum; quorum neutrum apud Eusebium reperias, ex quo opus De scriptoribus Ecclesiasticis, in quo haec habentur, Hieronymus confarcinavit: nam ubi Eusebius recenset opera Justini, ait Johanni Apostolo Apocalypsim manifeste tribuere Justinum in libris adversus Tryphonem; interpretatum fuisse non ait. Nisi forte pro eo quod extat in Eusebio: *μνησται δὲ καὶ τῆς ἁποκαλύψεως, ἧς ὁ ἰωάννης ἀποκαλύψας ἐπέλεξε τὴν λέξιν* Meminit & Apocalypsis Iohannis, Apostolo eam manifeste adscribens; legerit Hieronymus: *ἐπιλεχθεὶς δὲ καὶ τῆς ἁποκαλύψεως*. In ejusdem vero Chronico, ad annum decimum quartum Domitiani haec legas: *ἀρχιεπιστοπὸς καὶ νέεσσα δὲ Σπείρος χριστιανὸς ἐδίωξεν ἐν αὐτῷ δὲ καὶ ὁ διάκονος ἰωάννης ἐς πάτριον ἐξοχέσεται, ἐν τῷ τῷ ἀποκαλύψαν ἑώρακεν, ὡς ἀνοὶ ἐπιλαύσιος* Domitianus alter à Nerone Christianos persecutus est. Sub eo Iohannes Apostolus in Patmon relegatur, ubi Apocalypsim vidit, quemadmodum declarat Irenaeus. Ubi legitur videtur Hieronymus: *ἐν ἀνοὶ ἐπιλαύσιος*: Vertit enim: *quam Irenaeus interpretatur*. Sed haec obiter. De Apocalypsis conditore idem ac Justino, & Irenaeo, persuasum fuit Tertulliano, Clementi Alexandrino, Apollonio adversus Cataphrygas, Origeni, & plurimis demum, ac omnibus propemodum aliis.

X. Pauli Epistolae jam inde ab ipsis Ecclesiae primordiis inter Christianos summo consensu receptae sunt. Eas quidem repudiabat Ebion ille Haereticus, Apostolorum aetate conjunctus, & deinde Severus Encratarum haereseos assertor, ac postmodum Elefcaire, ab Elxao orti, quem vixisse Trajani temporibus docet Epiphanius. Sed & ipsi ab Ecclesia Dei repudiati sunt. Hinc tamen Epistolarum aetatem colligas. Honorificam praeterea earum mentionem facit Petrus in posteriore Epistola. Clemens ille, qui cum Petro & Paulo se conversatum fuisse non obscure indicat, in priore sua ad Corinthios Epistola, ex Pauli Epistolis depromptas locutiones usurpat. Priorem ad Corinthios, & illas quae ad Galatas & Philippenfes scriptae sunt, in testimonium adducit Polycarpus Johannis Apostoli auditor; & nonnulla ex illis, aliisve Athenagoras. Ex eadem ad Philippenfes arcessit quippiam Barnabas in Epistola Catholica. Probabat omnes Tatianus, Athenagora non multo recentior, exceptis iis quae sunt ad Timotheum. Tuebantur eandem opinionem Encratitae à Tatiano subornati. Et Marcion deinde, ac Basilides, in alias temere grassati sunt. Tangit illos obiter Clemens Alexandrinus, qui & Pauli auctoritate disputationes suas saepenumero praetexit; quod & Iululentius deinde à Tertulliano; aliisque recentioribus factum est.

XI. De una ad Ebraeos Epistola non levis habita est inter Veteres disceptatio, cum Paulo eam abjudicarent nonnulli; Lucae vero tribuerent alii, alii Barnabae, quidam Clementi. Eos quippe non moror, qui Tertulliano affinxerunt; si quorum tamen adeo insignis esse potuit oscitantia & supinitas, cum Tertullianus ipse meminerit Epistolae hujus, eamque Barnabae vindicaverit; cumque eam respuerint Tertulliano ventuosiores Tatianus, Marcion, & Cajus in Dialogo adversus Proclum. Ex eorum igitur aetate, quorum esse fertur, non minus antiquam eam esse deprehendas, ac vulgo creditur. Pauli quippe coetanei fuerunt Lucas, Barnabas, & Clemens. Longe vero certiores temporis, quo scripta est, notam reperire licet in ipsis Epistolae verbis, ex capite secundo, quibus salutaria documenta à Christo primum tradita, se demum ab iis qui audierunt accepisse ait. Ipse certe Clemens multas inde in Epistolam suam ad Corinthios transfert sententias, easque ἀντιλέγει, ut illam ex Ebraeo in Graecam linguam convertisse ipsum non immerito existimari posse censuerit Eusebius. Contra vero Clemens Alexandrinus in libris ἑρπυρίων, eundem orationis colorem in Actis Apostolorum, atque in hac Epistola reperiri affirmat; quippe illorum auctorem esse Lucam, hujus scriptorem. Unde agnoscas germanum Epistolae hujus scriptorem à Clemente Alexandrino, & Eusebio creditum esse Paulum. Quod si tantorum virorum iudicium quoque meum interponere liceat, Graece primum scriptam esse non absurdum argumentis existimaverim. Sed res est alterius disquisitionis: nunc quod agimus. Origenes re in utramque partem discussa, non temere eam à majoribus Paulo

adscriptam fuisse ait; & quæcunque Ecclesia eam ut Pauli opus suspexerit, laudandam censet; quippe sententias sibi Pauli ipsius videri, dictionem & compositionem esse alterius, qui Apostoli dictata exceperit, & in literas retulerit. Hieronymus in Epistola ad Dardanum scribit non ab Ecclesiis solum Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesiis, ut germanum Pauli factum fuisse admittam, quæ quamvis à Latinis in Canonem sua ætate nondum relata esset, se tamen veterum Scriptorum auctoritatem sequi, neglecta temporis sui consuetudine. In Epistola quoque ad Evagrium, recipi eam ait ab omnibus Græcis, & à nonnullis Latinorum. Propterea vero ab his in Ecclesia legi solitam non fuisse tradit Philastrus, quod ab Hæreticis depravata, & ad-

Philastr. Hæret. 88.

ditamentis quibusdam fuisset inquinata. Utur est, satis apparet vetustas Epistola, eo tempore nequitiam inferior, quo scripta esse fertur: & quamvis incerti eam auctoris esse concederemus, vel Pauli nimirum, vel Barnabæ, vel Lucæ, vel Clementis, cum incertum quoque olim fuisse ostenderit, à quo illorum esset profecta, sequitur ejus esse auctoris cui vulgo adscribitur, incerti nimirum, sed unius tamen ex illis quatuor; ac proinde genuinam esse, juxta primam Definitionem. Nos tamen eam, quæ Paulo Apostolo Epistolam hanc adscribit, amplectimur sententiam; non solum quod plurimum sese ac graviorum scriptorum auctoritate tueatur, sed etiam quod Ecclesia Catholica decreto fuerit roborata.

XII. Sequitur Epistola Jacobi. Hæc in eorum Scripturæ sacræ librorum censum conjicitur ab Eusebio, qui dubia erant auctoritatis, & admittebantur à nonnullis, ab aliis repudiabantur; nec multos ex Antiquis ejus meminisse ait. Saltem igitur aliqui ex Antiquis meminerunt. Inter Epistolas Canonicas recensuisse illam Clementem Alexandrinum in libris *ὑποτυπώσεων*, testis est idem Eusebius. Ejus verba usurpat non semel Tertullianus. Ipsi quoque patrocinium sibi Cyprianus asciscit, Asciscit & Origenes Eusebio antiquior; idemque Novi Testamenti Scriptores enumerans, Jacobum haudquaquam prætermittit, utinè Athanasius in Synopsi, nec Gregorius Nazianzenus in Carmine de libris Canonicis. Eandem Epistolam, licet initio controversam, procedente tempore auctoritatem obtinuisse Hieronymus asseverat. Cum ergo longe vetustiore hanc esse appareat Clemente Alexandrino, & Tertulliano; incidit profecto ejus ætas in Apostolorum tempora. Cum vero citra ullam hæsitacionem Jacobo hanc tribuat Origenes, jamdiu inolevisse opinionem istam necesse est. Atque id quidem sufficit ad faciendam fidem Epistolæ hujus, de qua non præcipua nobis est cum Christi adversariis velitatio.

deinde Epistola Jacobi, Euseb. l. 2. Hist. cap. 23. libr. 3. cap. 25. & lib. 6. cap. 14. Terrull. adv. Jud. c. 2. & libr. de orat. cap. 8. Cyp. adv. Novat. Origen. Hom. 13. in Gen. & Hom. 7. in Jos. Hieron. de script. Eccl. in Jacobo.

XIII. Huic succedunt ambæ Petri Epistolæ, quarum prior est extra controversiam inter Christianos: *πρὸς τοὺς ἀγαπῶντες αὐτὸν ὡς ἀγαπημένον, ἐν τοῖς σφῶν ἀποστόλων χειρὶ γέγραμται συγχρημάτισον*. Hæc *prisci Presbyteri, ut auctoritatis nevitiquam controversa, in suis scripturionibus usi sunt*: inquit Eusebius. Scribit idem alibi testimonia ex ea petivisse Polycarpum, ab Apostolis ipsis Christiana doctrina imbutum, multisque qui Christum Dominum viderant familiariter usum, & Papiam Johannis discipulum, atque iis ætate proximum Irenæum, & alios veteres Christiani dogmatis assertores. Factum idem sæpe videmus ab Origene, qui & Petrum ipsius auctorem esse non semel prædicat. Major inest Secunda concertatio, quam inter dubias collocari ab aliquibus, & Petro abjudicari scribunt Origenes, Eusebius, & Hieronymus, propter stili cum priore discrepantiam. At aliter se de ipsa sentire declarant idem, & Petro indubitanter adscribunt. Et merito quidem, quippe cum in monte sancto se Christo adfuisse dicat Auctor, & Paulum charissimum suum fratrem appellet, sequæ jam priorem Epistolam scripsisse significet. Hanc itaque in sacrorum Librorum serie inter Catholicas Epistolas posuit Clemens Alexandrinus in libris *ὑποτυπώσεων*, & Athanasii postmodum Synopsi, & Gregorii Carmini, in quo sacri percensentur Libri, inseri merita est.

de ambatum Petri, Euseb. Hist. libr. 3. cap. 3. & 19. libr. 4. cap. 14. libr. 5. cap. 8. Origen. Tom. 1. in Joh. & Hom. 13. in Gen. & Hom. 7. in Jos. Euseb. Hist. l. 3. cap. 25. Hieron. de script. Eccl. in Petro. 1. Petr. 1. 17. 18. 2. Petr. 4. 15. 2. Petr. 3. 1.

XIV. Idem atque illa persequitur argumentum Epistola Judæ, & utraque insertari videtur Simonem, & Nicolaum Hæreticos, ipsorumque discipulos, Apostolorum coartaneos. Itaque altera alteri præstat opem, & fidem facit. Venit quoque in contentionem illa Judæ, ut testificantur Origenes, Eusebius, & Hieronymus, qui eam tamen auctoritatem demum consecutam fuisse ait, & inter sacras Scripturas numeratam. Idem affirmat Origenes compluribus locis, ejusque verbis se defendunt Tertullianus, & Cyprianus; eandemque Canonicorum librorum Catalogo intexerunt Clemens Alexandrinus in libris *ὑποτυπώσεων*, Athanasius in Synopsi, Gregorius Nazianzenus, alique porro omnes. Præterea cum ex Veteribus non multos ejus meminisse ab Eusebio traditum sit; hinc colligitur aliquos saltem ex Antiquis illis ejus meminisse. Sed hæc nimis; quoniam non ex harum, ut dixi, Epistolarum auctoritate præcipue pender ea, quam suscipimus, Christiana doctrina defensio.

ac demum Epistola Judæ, Origen. Hom. 13. in Gen. & in Jos. & in Matt. Euseb. Hist. l. 3. cap. 25. & 24. & l. 3. c. 15. Hier. de Script. in Judas. Tert. De hab. mul. c. 3. Cyp. adv. Nov.

XV. Quid quod scriptas ipsis Apostolorum manibus literas, in Apostolicis qui-

Probatum præterea 300

videt librorum Novi Testamenti ex vetustate Codicum quorundam. Reselluntur argumenta adversarium. Primum argumentum.

Gelas. Decr. part. 1. dist. 17.

Euseb. Hist. libr. 3. cap. 17.

Hier. De script. Eccl. in Lucas.

Secundum argumentum. Clem. Epist. 2.

Origen. Hom. 8. in Math. Ambros. in Rom. 1. Hieron. in Gal. 1. & Pref. in Pent. & Pref. in 4. Evang.

Augustin. De utilitate credendi, cap. 3.

busdam Ecclesiis suo tempore recitari solitas fuisse testificatur Tertullianus in libro De præscriptionibus? Quippe manu sua plerasque scripsisse se Epistolas non uno loco prædicat Paulus. Quid quod exemplaria quædam Novi Testamenti, vel aliquarum ejus partium, hæc ætate extant, tanta vetustatis, ut proximo Apostolorum ævo scripta videri queant?

XVI. Atenim probasse non satis est genuinos esse libros Novi Testamenti: nam nec plures esse probandum præterea est. Multa quippe olim circumferebantur Evangelia: velut illa fuerunt secundum Ægyptios, secundum Ebræos, secundum duodecim Apostolos, secundum Petrum, secundum Paulum, secundum Matthiam, secundum Bartholomæum, secundum Thomam, secundum Andream, secundum Philippum, secundum Thaddæum, secundum Barnabam, secundum Nicodemum, & Syriacum Evangelium, & illa Basilidis, & Apellis, & Tatiani. Multa quoque Apostolorum nominibus inscripta legebantur Acta: velut illa Andree, & Philippi, & Thomæ, quæ censura sua notavit Gelasius Papa. Aliæ etiam Pauli usurpabantur Epistolæ, velut illa ad Laodicenses, & illa ad Senecam: aliæ quoque Apocalypses, quales illæ Pauli, & Thomæ, & Stephani, & Petri: aliæque scriptiones apocryphæ complures, quarum nonnullæ jam inde à primævis Ecclesiæ hæreseon fructus succrescerent. Verum quæ ratio genuinorum Evangeliorum asserit auctoritatem, petita ex suffragiis proxime & continuata serie sequentium ætatum, eadem apocryphorum auctoritatem elevat ac diluit, ut pote quorum falsitatem deprehenderint & prodiderint succedentia tempora, nec constantem illis ac perpetuum consensum præbuerint. Hoc enim inter apocryphos istos fetus, & eos interest qui ἀπληροίδοι dicebantur, & intercessionem nonnullorum erant obnoxii, velut Epistola ad Ebræos, aut Apocalypsis, quod his robur & auctoritatem addiderit posterior ætas, illis detraxerit. Tanta præterea inerat illis doctrinæ, sententiarum, ac verborum à genuinis discrepantia, quemadmodum ab Eusebio proditum est, ut si horum satis comprobata à nobis est γνησιότης, uti certe est, conficta illa esse & supposita omnino necesse sit. Hoc argumento Pauli & Theclæ περὶ ὁδοῦ vanitatem arguit Hieronymus, quod iis continerentur narrationes quædam, quarum nulla exstaret in Actis Apostolorum mentio.

XVII. Objici quoque possunt testimonia nonnulla, non ex Veteri solum, sed ex Novo etiam Testamento à Patribus deprompta, quæ nusquam in iis reperias: quale illud est apud Patres Christo tributum: δοκίμοι ἔπαρεστιν γινώσκοντες. & qualia multa proferre possemus, quorum in sacris Libris neque vestigium apparet, neque vola. Item alia quædam aliter à Patribus relata, ac in Evangeliiis scripta leguntur: quale illud est à Clemente Papa usurpatum: εἰ τὸ μικρὸν αὐτῶν ἐπιθήσατε, τὸ μέγα πρὸς ὑμῶν δόξῃ, λέγω ὑμῖν ὅτι ὁ πῶς ἐν ἑσπερῶν, ἢ ἐν πολλῶν πῶς ἔστιν: quæ alio modo apud Lucam concepta sunt. Quod si hæc luxata dicamus, vel ex Evangeliiis extrita, quænam Evangeliiis demum constabit fides, libraniorum vel Criticorum temeritatem passis, itidem ut aliis vulgaribus scriptis contingit? si ex apocryphis Evangeliiis petita, parem apocryphis tributam à Patribus illis fidem fatendum erit, quæ Canonicis tributa est.

Certe si quis nonnulla è sacris Voluminibus, ipsisque adeo Evangeliiis excidisse neget, palam cum revincet discrepantia codicum, & collectiones variantium lectionum jam pridem inolitaram, quemadmodum ipsi fatebantur Origenes, Ambrosius, & Hieronymus. Quæ sane lectionum varietas nulla esset, si par usquequaque fuisset vocalium omnium coagmentatio, & contextus integritas. Cæterum vel ex iis collectionibus satis apparet quam leves eæ sint discrepantiæ, quamque exigua & nullius ad faciendam Christi fidem momenti, quæcunque diuturnitate temporis erasa sunt. Nam si aliqua in Libris sacris olim habita essent propugnandis Christianæ fidei dogmatis utilia, ea procul dubio libris suis inseruissent vetusti Ecclesiæ Patres, à quibus reliqua causæ suæ opportuna tam studiosè collecta sunt, antequam vitium ullum passos esse Codices sanctos vel dici, vel credi possit. Nullum autem ejusmodi testimonium in Patrum scriptis reperire licet, quod non alii quoque magno usurpent consensu, & Codices sacri præ se ferant. Atque ea sane Patrum, tum vetustiorum, tum recentiorum in repetendis Novi Testamenti verbis consensio, validissimum est & certissimum probandæ illius integritati & sinceritati argumentum, & ab Augustino usurpatum. Quas autem sententias indidem Patres alio verborum ordine depromunt ac conceptæ sunt, minime vero id probat luxatas eas esse ac distortas in Libris sacris, sed à Patribus orationi suæ accommodatas. Tritior quippe hæc est apud illos testimoniorum è Scriptura sancta depromendorum ratio, cum usurpantur ipsæ

PROPOSITIO II. III.

23

duntaxat sententia, negliguntur verba, quam cum utraque ἀποδείξει recitantur. Sic ipsi Novi Testamenti Scriptores à Veteri testimonia proferre solent.

XVIII. Denique ad id quod objici potest, plerosque Novi Testamenti libros fuisse ab Hæreticis aliquibus repudiatos, ideoque non constantem fuisse omnium in admittendis iis consensum, ac proinde genuinos haberi non posse, expedita est ac proclivis responsio, hoc ipso in approbandis iis Ecclesiæ consensum apparere, quod quicumque illorum labefactare tentarunt fidem, ab Ecclesia exterminati sunt. Nempe quem quisque Novi Testamenti librum vāsanīa suā putabat adversari, hunc scilicet calculo suo damnabat. Hinc Manichæi quasdam Novi Testamenti partes causæ suæ opportunas recipiebant, reliqua aspernabantur, quorum audaciam hac ætate imitati sunt Anabaptistæ. Hinc Evangelium secundum Ebræos probabant Ebionitæ, reliqua parvipendebant. Hinc selecta quadam excipiebant ex Lucæ Evangelio Marcionistæ, alique ipsorum gregales; Cerinthus vero, & Carpocrates totum penitus repudiabant. Nempe sic unusquisque causæ suæ serviebat. Evangelium Johannis spreverunt Alogi, quod Dei λόγος, quem prædicaverat Johannes, non agnoscerent. Similes ob causas Acta Apostolorum non admittebant Severiani; Pauli quoque Epistolas abjiciebant iidem, & Elcesaitæ. Unus utrisque error, sed variis partibus illudebat. Media incedit Christi Ecclesia, & quem ab initio tramitem tenuit, huic constanter insistere perseverat. Patet ergo luculenter ex superioribus genuinos esse libros Novi Testamenti. Quod erat probandum.

Tertium argumentum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Coætanei sunt libri Novi Testamenti.

I. **E**X superioris Propositionis veritate pendet hujus probatio. Nam cum genuinos esse libros Novi Testamenti demonstraverimus, sequitur scriptos esse eo circiter tempore quo feruntur esse scripti, juxta primam Definitionem. Atqui feruntur esse scripti iis circiter temporibus, quibus res in iis scriptæ contigerunt, nempe non longe post obitum Christi, in ipsis Ecclesiæ primordiis, cum jam caelesti gratia roborati Apostoli, novæ Legis mysteria Judæis primum, deinde orbi universo promulgarent. Coætanei sunt autem libri, qui iis circiter temporibus sunt scripti, quibus res in iis scriptæ contigerunt, uti Definitione secunda tradidimus: unde sequitur coætaneos esse libros Novi Testamenti. Quod erat probandum.

Probatur secunda Propositio.

PROPOSITIO TERTIA.

Historiæ in Novo Testamento scriptæ, veraces sunt.

I. *Probatur ex consensu Scriptorum Novi Testamenti, & suffragiis exterorum, veraces esse historias, II. de Johanne Baptista, Jacobo fratre Jesu, Jesu ipso, & aliis in Novo Testamento commemoratis; III. iterum de Jesu; IV. tum de ejus patria & parentibus; V. de nova stella Magis visa, & de infantibus ab Herode occisis; VI. de virtutibus Jesu, VII. ejusque morte; VIII. de Solis defectione, & terræ motu, quæ moriente Jesu contigerunt. IX. Refelluntur nonnulli, qui hanc Eclipsim, & hunc terræ motum esse negant ea, quæ à Phlegonte notata sunt. X. De morte Jacobi fratris Domini. XI. Expenditur memorabile Josephi testimonium de Christo Jesu, & defenditur. XII. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. XIII. Secundum argumentum. XIV. Tertium argumentum. XV. Quartum argumentum. XVI. Quintum argumentum. XVII. Sextum argumentum. XVIII. Seorsum refellitur Tanaquilli Fabri dissertatio super hoc Josephi testimonio de Christo Jesu. XIX. De editis à Discipulis*